



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidecalogvs Theologico-Politicvs Reformatvs

Dript, Laurentius a

Paderbornae, 1672

1. Princeps summam potestatem habetrerum tam Ecclesiasticarum, quam Civilium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13441

tum velim, nullatenus inquirere me, quid circa tractanda in foro fori (hoc enim abundè monstrat Transactio Passaviensis, Pax Religionis & Instrumentum Pacis) sed quid in foro poli & conscientiae tenendum sit, cuius examen instituto vitae meae conveniens est; caeterorum determinationem Statistis transcribo.

PROPOSITIO I.

Princeps summam potestatem habet Rerum tam Ecclesiasticarum, quam Civilium.

I. **H**aec propositio est, quam unanimiter defendunt & propugnant omnes protestantes, ut aliquo modo suam à Romano Catholicâ religione defectionem justificent, & se à jurisdictione summi in terris Christi Vicarij violenter eximant: suis Sæcularibus Principibus jus tam Ecclesiasticum quam civile, Episcopale & territoriale arrogantes: quam materiam, quia ex proposito quotidie publicis Thesibus & libris exponunt, placuit eam ex Domino *Theodoro Reinkingh* desum-

desumptam breviter refutare, servato ordine, ac methodo illius, ac ostendere summam potestatem Ecclesiasticam, nulli nisi Ecclesiastico Prælato, Summoque Pontifici posse competere, sicuti & conciliorum convocationem, hæreticorum punitionem, in Bonis Ecclesiasticis dispositionem &c. idque propositis & refutatis eorum assertionibus.

PROPOSITIO II.

De Iure divino Princeps Secularis habet potestatem Ecclesiasticam, estque Episcopus.

2. **H**anc assertionem probat Reinkingh *lib. 3. cap. 1. hoc modo. Magistratus custos esse debet utriusque tabulae, omnemque curam in eo collocare, ut religionis imprimis summa habeatur ratio: Certum est enim Ecclesiam esse in Republicâ, non vero Rempublicam in Ecclesiâ. arg. Novell. 3. 5. 6. 16. &c. Unde Reges nutritij, Regina verò nutrices Ecclesia appellantur. Isaia 49. Pastores Ecclesia. Isa. 44. hoc pertinet ad Reges seculi, Christianos inquit S. Aug. ut temporibus suis pacatam velint habere*